

in Regiâ Francorum Aulâ versetur . Itaque postquam ad nos proficisci in
praesentia non licuit , sua spe frustratus hic Liber ad Te in exteras plagas
venit obsequii erga te mei testis . Is te sane , ut arbitror , gravissimis di-
stentum curis inveniet ; attamen quum tantus in te sit Literarum amor ,
vix fieri possit , quin Celsitudo tua aliquando , saepius vero egregius Nepos
tuus , ad haec Antiquitatis Monumenta oculos convertatis . Interea votis
precibusque ego Caelum pulso , ut te adhibitum ad Pacem inter Reges fo-
vendam patrocínio suo conroboret , neque irritam sinat tuam in re tanti mo-
menti industriam .

CELSITUDINIS TUAE

Mutinae VI. Idus Decembr. MDCCXL.

Hamillimus , Addictissimus , & Obsequentissimus Famulus
Ludovicus Antonius Muratorius .